

omittam: sa. me. Benedictus XIII., quum esset Episcopus, non semel Virgines solemniter ritu consecravit, quod et per egit etiam dum esset Summus Pontifex, complures Moniales Benedictinas in Asceterio Sancti Ambrosii Romae benedicendo.

Ut autem singulari modo de Dubio et de data responsione agatur, quum quaestio quodammodo excitata videatur, an solae Moniales Ordinis Sancti Benedicti hunc ritum servent, sive an solum super his exclusive Monialibus servari hic Ritus debeat, pauca advertenda occurrunt eaque non despicienda. Non obscure Benedictus XIV. felicis recordationis in sua octogesima quinta Institutione videtur indigitare alias etiam Moniales, quae Ordini Sancti Benedicti nomen non dederunt, consecrationis Ritus, ut in Pontificali Romano reperitur et praescribitur, servare posse; siquidem in illa Institutione haec habet §. 11: *Statim ac Nos suscepimus hujus Ecclesiae (Bononiensis) administrationem cogitare coepimus: an reliquas quoque Moniales ritus hujusmodi participes facere teneremur, si necessariis conditionibus praeditae essent, ut velum Consecrationis reciperent. Id vero institutum ceteris Monialibus convenire duximus ob sacram ipsius vetustatem et ob consilium Sancti Caroli Borromaei, qui in quarta Mediolanensi Synodo sic decrevit: Ubi religiosus iste et vetus Moniales solemniter velandi mos his temporibus antiquatus est, ad pristinum usum ex veteri instituto et ritu revocetur; dummodo intra Monasterium fiat.*

Aliquam fortasse difficultatem promovere quis posset ex illis verbis Benedicti XIV.: *an reliquas quoque Moniales, utrum scilicet, haec verba accipi ita debeant, ut sub illis intelligantur Moniales Ordinis Sancti Benedicti, quae nondum consecratae fue-*

*runt, adeoque illae, conditionibus requisitis non deficientibus, ab Eo consecrari deberent: an vero de aliis quibuscumque Monialibus, quae diversam a Sancti Benedicti regulam sequuntur? Ast obvius verborum sensus suadet, de his verba accipi debere, nec ratio apparet cur de solis Monialibus Benedictinis intelligi debeant; nam neque Benedictus XIV., neque sanctus Carolus taxative et exclusive de Monialibus Ordinis Sancti Benedicti mentionem faciunt, sed simpliciter Moniales dicunt. Idem constat ex iis, quae in praecedenti paragrapho ipsius Institutionis habentur, in quo, ut quisque videt, non agitur, nisi de modo servando, de quo Cardinalis Boncompagni Sacram Rituum Cong. bis consuluit Anno scilicet 1698 et 1699.*

Insuper §. VIII inquit Benedictus XIV.: *Et quamvis consecratio hujusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit, ritus tamen ipsius retentus est, praesertim ab iis Monialibus, quae Sancti Benedicti disciplinam sequuntur.* Jam quisque videt per vocem *praesertim* clare innui ab aliis etiam diversi Ordinis Monialibus servatum fuisse hunc ritum, licet ab initio forsitan fuerit proprius Monialium Sancti Benedicti, et pro iis adprobatus et institutus primario fuerit. Si secus diceretur, inutile prorsus videretur hanc vocem *praesertim* additam fuisse, quae quidem vox non est exclusiva aliarum diversi Ordinis Monialium, sed potius et istarum comprehensiva. Quapropter ea verba his aequivalere videntur enuntiationibus, et quamvis consecratio ejusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit quoad reliquas Moniales, quae Sancti Benedicti Regulam non sequuntur, ritus tamen hic retentus est *praesertim*, hoc est principaliter et praesertim ab iis Monialibus, quae Sancti Benedicti disciplinam sequuntur.

Demum hic ritus in romano Pontificali praescribitur et apposito singulari titulo legitur, ut supra notatum est: *De Benedictione et Consecratione Virginum.* Jam Pontificale Romanum ea continet, quae universim servantur et servari debent vel possunt, et si sunt singularia, sunt propria et privativa aut jurisdictionis aut Ordinis, et tunc vel in Codicibus Liturgicis quibuscumque tamquam propria ac singularia indicantur, vel totidem separatim vel exarantur, vel typis mandantur Libri, quot proprii sunt exclusive ritus. Jam Titulus hic generalis est pro Monialibus, non pro quibusdam Monialium Ordinibus, taxative confectus et appositus, non hanc vel illam Monialium Regulam comprehendit, hanc vel illam excludit. Moniales igitur omnes cujuscumque instituti hae sint in eo generico Titulo comprehensae censi debent omnesque pariter ritum hunc *necessariis*, ut loquitur Benedictus XIV. *conditionibus existentibus*, ubi adhuc viget, sequi possunt.

Vigebat siquidem in Civitate Tarentina mos, ut Moniales Asceterii Clarissarum expleto vigesimo quinto aetatis Anno, solemniter emissa Professione, velum benedictionis ab Archiepiscopo reciperent et ritus juxta Pontificale Romanum servabatur. Reverendissimus modernus Archiepiscopus ratus hunc ritum solis Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti competere, pro iisque tantum vel institutum vel servatum fuisse, de privilegio Clarissarum Monialium suae Civitatis moneri voluit, antequam ritum ipsum perageret. Et optime quidem, quum enim de privilegio agitur, constare de hoc debet, ne universali Legi et Juri communi sine ratione derogetur per exercitium privilegii suppositi et non obtenti. Moniales, ut ex facto apparet, de hoc ab ipsis constantissime servato Episcoporum docuerunt, illumque ritum

pariter vel ab ipsa Asceterii illius origine ex constanti traditione acceperunt, retendum hujusque fuisse affirmarunt et ab aliis praedecessoribus Archiepiscopis perfectum observarunt. Sacra Rituum Congregatio, omnibus perpensis salis constare putavit de asserta traditione et de vetustissima hunc ritum servandi consuetudine et privilegio, quo Moniales Clarissae Tarentinae Civitatis fruebantur; nihil tamen certi decernere volens et difficultatibus ex parte Reverendissimi Archiepiscopi allatis fortasse permota, quamvis pro gratia confirmationis asserti privilegii pronuntiaverit, ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo rescripsit, qui pro sua sapientia, per eundem Secretarium Sacrorum Rituum Congregationis pro privilegii confirmatione benigne annuit, et Velum benedictionis emissa solemniter Professione post Annum vigesimum quintum juxta Pontificale Romanum Monialibus praedictis Clarissis Tarentinae Civitatis concessit. Quae sane concessio, si ea perpendantur, quae superius sunt adnotata (non enim solis Monialibus Benedictinis iste ritus exclusive est reservatus), quaeque a Monialibus pro conservando vetustissimo privilegio allata sunt, non novum, quid stricte loquendo tribuit, sed potius obtenti jamdiu privilegii et vetustissimae reverae servatae consuetudinis confirmatio habenda est. Ad quod confirmandum satis superque esse poterunt, quae praemissa fuerunt.

#### b) Dispensatio a ritu.

Vd. *Benedictio Monial.* (Antiquitas; nota).

Cum pro parte Abbatissae et Monialium Monasterii s. Marg. civitatis Bononiae expositum fuerit, ex undecim Sanctimonialibus, quae modo sol. velari postulant, altera ne parvulo quidem temporis spatio et propria cella descendere posse, prohibente gravi in-

firmitate; duas vero ex iisdem alias Monialibus talibus corporis dispositionibus ita habitualiter esse obnoxias, ut merito timeri possit, ne aliquo corripiantur deliquo, ut impares sint absolvendae longioris solemnitatis, qualis est Monialium velatio seu consecratio facienda in Ecclesia exteriori. Quare ne hae tres Moniales spirituali, quam summopere optant, consolatione priventur, Oratrices supplicarunt, ut non solum quoad tres Moniales infirmas, verum etiam quoad caeteras Moniales velandas pro hac vice tantum dispensare dignaretur super observatione Pontificalis rom., earumque sol. velatio fieri possit ad fenestellam vestitionum; quo vero ad supradictam Monialem actu et habitu infirmam atque impotentem accedendi ad consecrationem, annuendo permittere, ut inter missarum Solemnia a duabus Monialibus velum benedictum ad eandem deferatur. S. C. resp.: Pro gratia. n. 4326 die 11. Maji 1765.

## c) Missa.

Vd. *Missa vot. de Sp. s.* (dies).

Si Actio vestiendi Moniales fit in Cathedrali, poterunt cantari duae missae, altera de dominica seu festo currenti, altera de Spiritu s. votiva, tamquam pro re gravi cum *Gloria, Credo et Praefatione de Sp. s. et sine* commem. Dominicae; si vero in Ecclesia Monialium, sufficit una de Sp. s., ut supra celebranda, alias de dominica; vel in utroque loco de dominica cum commem. de Sp. s. n. 2419 ad 4 die 13. Aug. 1667.

*Ad dubium:* an in vestitione aut processione Sanctimonialium die dominica vel festo dupl. liceat cantare Sacrum solemne de Spiritu s., an de die currenti? S. C. resp.: Esse ab usum cantare de Spiritu s. omnino abrogandum. n. 3029 ad 5 die 24. Julii 1683. n. 3631 die 26. Aug. 1702.

Ex pervetusta consuetudine ac traditione in Ecclesia Monialium Ord. Cisterciens. Urbis est mos missam vot. de Spir. s. celebrandi, quoties aliqua virgo vel sol. habitum assumit, vel professionem emittit. Moniales porreperunt preces, ut hanc consuetudinem S. C. confirmare dignaretur. S. C. resp.: In casu solummodo, de quo in precibus, de speciali gratia nullo unquam tempore in exemplum afferenda fiat commemoratio tantum Spir. s. in Missa de Officio currendi; dummodo non occurrat dupl. 1. vel 2. cl.; item dominica privil. tum 1. tum 2. cl. n. 4812 die 11. Mart. 1837.

## 37) Mulieris post partum.

Non licere Confratribus laicorum in eorum Oratoriis benedicere Mulieres post partum. n. 869 ad 1 die 20. Julii 1630.

Benedictionem mulierum post partum esse munus parochiale et ad ipsum parochum spectare. n. 899 die 8. Febr. 1631.

Canonicis Cathedr. non licere benedictionem mulieris post partum, sed ad parochum proprium privative spectare. n. 909 die 22 Mart. 1631. n. 3670 ad 6 die 12. Jan. 1704.

*Ad dubium:* An bened. mulierum post partum et fontis baptismalis sint de iuribus mere paroch.? S. R. C. resp.: Negative, sed fieri debere a parochis. Die 10. Dec. 1703, approb. Clem. XI. 12. Jan. 1704.

*Ad dubium:* An jus benedicendi puerperas spectet privative ad Parochos? S. C. C. resp.: Negative. Die 3. Dec. 1718.

Ex relatione status Ecclesiae Wratislaviensis ad s. Congreg. ab Episcopo transmissa die 8. Martii 1858 sequens habetur postulatam: Rituale romanum dicit: an mulieres post partum illegitimum possint accipere benedictionem in ordine Sacramenti Ma-

trimonii post partum praescriptam. In multis Dioecesibus Germaniae valet antiqua consuetudo, hanc benedictionem tantum uxoribus impertiri vel viduis post partum posthumum. Quaeritur: an haec consuetudo sit rituali conformis et quatenus negative, an possit tolerari, ut praefata benedictio post partum illegitimum denegetur? S. C. resp.: Ad benedictionem post partum jus tantummodo habere mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt. Die 18. Junii 1859.

*Ad dubium:* An valeat parochus in ecclesiis Monialium Ordinario subiectarum, bened. mulieris post partum vel similia impertiri? S. C. C. resp.: Negative. 23. Aug. 1727.

## 38) Navis.

Functionem benedicendi Naves non esse parochialem, ideoque licere Canonicis s. Michaelis majoris illas benedicere intra limites parochiae cum cotta, stola, ministro, vase aquae s. et rituali sine licentia praepositi, cui et non capitulo curam adnexam esse expositum fuit. n. 2549 die 13. Junii 1671.

## 39) Nuptiarum.

Vd. *Nuptiae. Bened. annuli Nupt.*

Cf. *S. Michael.*

*Ad dubium:* an in bened. 8. lectionis in Mat. Officii translationis s. Francisci vel aliis translationibus dici debeat:

*Cujus festum vel cuius translat. colimus?* S. C. resp.: *Juxta rubricas Brev. rom.* n. 2360 ad 3 die 13. Febr. 1666.

In Officio s. *Gabrielis* ejus festum colitur et in oratione ejus auxilium et patrocinium invocatur, prout quod fit in Officio s. *Raphaelis*, sicut apparet in Oratione, quae dicitur in

eorum Officiis; ideo dicendum esse: *Cujus festum colimus.* n. 3295 ad 5 die 13. Sept. 1692.

## 41) Oleorum in Coena Dom.

Vd. *Coena Dom.* (Consecr. Ol. s.)

## 42) Oratorii et Eccles.

(Facultas).

Vd. *Cappella domestica* (praecipue decr. n. 4565 ad 10)

Non potest simplex Sacerdos sine Mandato et licentia *Sedis Apostol.* benedicere Oratorium vel reconciliare Ecclesiam *pollutam*, cum id spectet ad Episcopum; sed si licentiam habuerit, eadem benedictione uti debet qua utitur Episcopus, ut in Pontificali. n. 351 ad 10 die 19. Maji 1607.

Vd. *Reconciliatio.*

Episcopus potest subdelegare tam Plebanum, quam alium sibi magis benevisum ad effectum *benedicendi*, non autem consecrandi noviter constructam Ecclesiam. n. 1545 die 7. Oct. 1645.

## 43) Palmarum.

## a) Benedicens.

Vd. *Purificatio B. V. M.; Cineres; Evangel. in bened. palm.; Diaconus et Subd. in bened. palm. Bened. (Jus).*

Qui benedicit candelas, cineres et ramos, debet etiam cantare missam sequentem. n. 2363 ad 14 die 13. Febr. 1666.

Sacerdoti celebranti in Oratorio seu Cappella s. Annae Terrae Agerulae non competit jus benedicendi ramos in dominica palmarum. n. 3971 ad 1 die 5. Apr. 1727.

## b) Coram exp. SSmo.

*Ad dubium:* An, quo modo, quove in Altari fieri debeat Benedictio Palmarum ante Missam celebrandam Dominica in ramis pro repositione SSmi. Sacramenti, expleta Oratione quadraginta Horarum?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi... respondendum censuerunt ut infra, videlicet:

„In casu, de quo agitur, si fieri debeat vel deceat, ut fiat benedictio palmarum, haec facienda erit in alio Sacello laterali, quo magis fert Ecclesiae structura, distante ab Ara Maxima, in qua SSimum Sacramentum expositum est, servatis omnibus caeremoniis in Missali praescriptis, sed absque Processione.“

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 10 die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, SS. cuncta benigne approbavit Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense, Anno, quibus supra.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Quum ex *fel. rec. Clementis VIII.* Institutione perpetua esse debeat Oratio quadraginta Horarum per Urbis Ecclesias certo ordine distributa, et dumtaxat intercipiatur post Missam Feriae V. in Coena Domini ad solemnem usque Missam Sabbathi S.; necesse est, ut in una alterave Ecclesia incipiat vel desinat etiam in Dominica, quae dat initium Majori Hebdomadae. Hinc orta dubitatio; num et quomodo Benedictio Palmarum in iisdem Ecclesiis fieri debeat vel possit. Nemini Dubium, quod liceat in Ecclesia assignata pro expositione: in illa namque Oratio non incipit, nisi post Missam, quae celebratur, expleta Palmarum Benedictio: non ita de altera, in qua terminum habere debet Oratio. Ibi adhuc venerationi Fidelium expositum est Sacramentum, neque reponitur, nisi post Missam diei, quae est

de Dominica cum Oratione Sacramenti sub unica conclusione.

Eritne igitur omittenda Benedictio Palmarum, an potius Missae praemitenda? Si Romae obtineret instructio, quam dedit S. Carolus Borromaeus pro Ecclesia Mediolanensi, in qua Oratio quadraginta Horarum habuit initia, minime esset pro omissione haesitandum. Etenim S. Antistes, cum tempore Orationis populum vellet unice adorationi Sacramenti intentum, jussit, ne tempore expositionis ullae celebrarentur Missae aut alia persolverentur Officia, sed quoniam longe diversus est Ecclesiae Rom. Ritus, diversa etiam ratio tenenda est. Ubi fieri debet vel decet, ut fiat Benedictio Palmarum in die repositionis, componenda ita res est, ut s. haec actio populum non turbet nimisque distrahat ab Oratione: quamobrem consulendum, ut caeremoniis ab Ecclesia praescriptis fiat hujusmodi Benedictio in aliquo ex lateralibus Aris, quo magis potest, ab Altari expositionis distante; expediret etiam, ut fieret sine cantu. Verumtamen vel cum, vel sine cantu fiat, omittenda omnino est Processio. Si fieret, cantus versiculorum, egressus ab Ecclesia, illius forum oclusio et aperitio, pulsatio ab extra cum Crucis hasta, transitus ante Sacramentum, perturbationem gignerent et consequenter indirectam daret, etsi involuntariam, causam irreverentiae. Ad dam praeterea, quomodo, apertis januis, cani posset *R. Ingrediente Domino etc.*, dum revera Dominus, nempe Christus adorandus realiter et solemniter expositus est? Quod si Ecclesia sit nimis angusta, expedit potius, ut Benedictio Palmarum omittatur, quia si fieret, vix posset absque periculo scandali et irreverentiae. Responsum autem S. C. ad praesens dubium dat regulam servandam, si occurrat SSmi. Sacramenti repositio in

die Festo Purificationis B. M. V., et Fer. IV. in capite jejunii, in quibus ante solemnem Missam fit Benedictio candelarum et cinerum.

#### 44) Papalis.

##### a) Forma et Ritus.

###### ALEXANDRINA.

Quum Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuerit Capitulum Cathedralis Alexandrinae Ecclesiae, nimirum: An ritus et formula dandi Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria post Missam Solemnem juxta formulam praescriptam Episcopis, substitui possit ritui et formulae dandi Benedictionem solemnem juxta Caeremoniale Episcoporum, dicto -Placeat-, adeo ut dicto -Placeat-, omitta Benedictione solemnem, impertiri possit Benedictio Apostolica, ut supra? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitibus ad Vaticanas Aedes sub infrascripta die coadunati ad relationem Secretarii rescribendum censuerunt: „Negative et servetur ritus, ac forma in Rom. Pontificae praescripta.“ Die 23. Maji 1835. n. 4737.

##### b) Genuflexio.

Vd. *Bened. Episcopi* (genuffl.)

*Ad dubium*: An Canonici Dignitates et Portionarii parati vel non parati, dum accipiunt solemnem benedictionem ab Ep. nomine summi Pont. impertitam, debeant se inclinare vel genuflectere?

Et S. eadem C... rescribendum censuit: „Pro qualitate Personae vel inclinare vel genuflectere.“ n. 5013 ad 2 die 14. Junii 1845.

##### c) Extra Pontificalia.

Luigi Reggianini Vescovo di Modena per la sua avanzata età, ed indebolita

salute non potendo più pontificare nelle maggiori ricorrenze senza grave pregiudizio della medesima, prostrato al Trono della Santità Vostra, implora la facoltà d'impertire la Benedizione Papale, ancorchè assista soltanto alla Messa solenne. Che ec.

SSmus. D. N. Pius IX. P. M., referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, quando revera Ep. Orator nequeat ob salutis incommoda Pontificalia exercere.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5060 die 15. Jan. 1847.

##### d) Promulgatio.

###### CONSTANTIEN.

Quum Rmus. Constantien. Ep. comperiat sibi commissos Christifideles non paucos abscedere ab Eccles. explet Missa Pont., etiam in duabus Solemnitatibus, quibus Ep. ipse nomine Rom. Pont. Populo benedicere debet cum Plenaria omnium peccatorum Indulgentia, ac proinde a S. R. C. humilime expetierit, ut in hac ipsa Benedictione dispensetur ab onere legendi duplici vice Breve delegationis Apost., ac simpliciter annunciare Plenariam Indulgentiam, ne populus abscedat; S. eadem C. ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitibus, referente Secretario, rescribendum censuit: „Juxta Pontificale Rom.“ Die 7. Dec. 1844. n. 4983.

###### CORISOPITEN.

Quum Rmus. Corisopiten. Ep. S. R. C. sequentia Dubia enodanda proposuerit, nimirum:

1. An lectio Litterarum Apostol., quibus Episcopo conceditur facultas impertiendi solemniter Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in Cath. Corisopiten., quae est etiam Parochialis, fieri possit post decantatum Ev., non vero in fine Missae, uti injungitur in scripto,

cui titulus *Ritus et formula Benedictio-  
tionis Apostolicae?*

2. Utrum Apost. hujusmodi Litterae legi debeant latino et vernaculo, seu patrio sermone? Et quatenus affirmative, idem Ep. supplicat ut saltem latinam omittere possit, ne Populus gravetur.

3. An lectio versionis hujusmodi Litterarum debeat esse integra, vel sufficiat exprimere Pontificem concedentem, Episcopum, cui facultas impertitur, et naturam gratiae, seu Indulgentiae concessae?

Quae singula Dubia dum S. R. C. ad Quirinale subsignata die coadunata ad relationem infrascripti Secretarii sedulo perpenderet, satius sumpsit consilium, ut ad Ecclesiam Corisopitensem extenderet Indultum Ecclesiae Rhodonsi hac ipsa die concessum, nimirum ut Apostolicae Litterae, quibus facultas conceditur impertiendi Benedictio-  
nem Apost. cum Indulgentia Plenaria, legantur integrae, sed tantum vulgari, seu patrio sermone, attamen expleta Missa, et ad Secretarium cum SSmo. Die 27. Febr. 1847. Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio IX. P. M. per Secretarium fideli relatione, S. S. Rescriptum adprobavit, atque Apostol. Auctoritate sua in omnibus confirmavit. n. 5067 die 5. Mart. 1847.

Etsi Rmus. Rhedonen. Episc. usque adhuc curavit, ut in die solemnibus Paschae et in Festivitate S. Petri et Pauli, quibus diebus solemniter Benedictio Apost. Populo elargitur, Apost. Litterae, quibus Indulgentia Plenaria conceditur, legerentur cum latina lingua, uti conscriptae sunt, tum vulgari idiomate gallico; attamen comperuit latinam hujusmodi lectionem adeo gravem Fidelibus experiri, utpote illam non intelligentes. Hinc S. R. C. humillimis precibus adiens idem Rmus. Antistes efflagitavit, utrum deinceps hanc latinam lectionem earundem Litterarum omit-

tere possit, atque unicam retinere gallicam versionem; et quatenus negative, Apostolicum dispensationis Indultum enixe rogavit.

Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata, referente Secretario, rescribendum censuit:

„Affirmative ex gratia speciali, et ad D. Secretarium cum SSmo.“ Die 27. Febr. 1847.

Facta autem hodierna die SSmo. D. N. Pio IX. P. M. per Secretarium fideli relatione, S. S. Rescriptum S. C. adprobavit, confirmavitque. n. 5074 die 5. Mart. 1847.

#### e) Quoties in die?

*Ad dubium:* an Benedictio Papalis impertiri possit bis in die? S. C. resp.: *Negative.* n. 4443 die 11. Sept. 1790.

#### f) Transferri potestne?

##### TARVISINA.

Rmus. Tarvisin. Episcopus S. R. C. humillimis adiens precibus, rogavit solutionem insequentis Dubii, nimirum: An Episcopus, qui ex Apostolico indulto bis in Anno Solemnem Pontificiam Benedictio-  
nem Populo dare potest, quoties rationabili ex causa Missam celebrare consuevit, an pro illa die, et vice censi possit praeditus eadem delegata Auctoritate Populo benedicendi?

Et S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die coadunata, ad relationem proprii Secretarii rescripsit: „*Negative.*“ n. 4763 die 8. Aug. 1835.

#### 45) Paramentorum, calicis etc.

##### a) Ab Episcopo facienda.

Non possunt Episcopi de licentia Dioecesani benedicere calices, patenas, cruces, paramenta, vestes Sacerdotales et similia *privatim* et sine solemnitate. n. 1400 die 28. Junii 1642.

Vd. *Bened.* (supplect.)

#### b) A Dignitariis et Abbatibus etc. facienda.

Non possunt Vicarii etiam Protonotarii benedicere paramenta ecclesiastica, Corporalia et similia etiamsi sint Protonotarii. n. 696 die 17. Jul. 1627.

Vd. *Abbas; Usus Pontifical.* (praecipue decr. n. 1856); *Bened.* (supell.) Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Jesu et alios quoscunque habentes privilegium benedicendi sacras vestes..., dicto privilegio uti non posse, nisi pro servitio dumtaxat Monasteriorum et Ecclesiarum propriarum. n. 952 die 13. Mart. 1632; 24. Aug. 1609.

Fratribus Minor. Observ. Refor. s. Francisci Montis Politiani non licere benedicere habitus Sacerdotales Clericorum et Personarum non subjectorum. n. 2379 die 18. Sept. 1666.

Abbates, Priores, Guardiani et alii Religionum Praelati possunt benedicere paramenta et vasa s. ad usum propriarum Ecclesiarum. n. 3775 ad 1 die 27. Aug. 1707.

*Ad dubium:* Utrum Abbates, Priores, Guardiani et alii Religionum Praelati possint vasa, in quibus s. unctio adhibetur, benedicere pro servitio tam propriarum Ecclesiarum, quam etiam saecularium? S. C. resp.: Ad primam partem quoad habentes usum Pontificalium, affirmative, quo vero ad non habentes usum Pontif. negative; et quoad secundam negative. n. 3775 ad 2 die 27. Aug. 1707.

Et quatenus negative: an eadem paramenta et vasa s. sint denuo benedicenda et resp. consecranda? S. C. resp.: *Negative.* *Ibid.* ad 3.

#### 46) Quae est?

Vd. *Benedictio Sacerdotis extra Missam* (decr. n. 4782 nota).

#### 47) Pro omnibus rebus.

##### PETROCOREN.

Ante re assumptionem Liturgiae Rom.,

quae jam ex integro in Dioec. Petrocorensi locum habet, erat in usu peculiaris quaedam benedictio pro omnibus rebus adhibita, quae in Rituali Rom. ceteris non accensetur. Quum autem benedictio haec maxime desideretur ab omnibus, et perdifficile prorsus esset illam eliminare, S. R. C. humillime rogavit Rmus. Petrocorensis Ep., quatenus Apost. Auctoritate juxta sancitas leges roboretur, ut etiam in posterum illa uti liceat ad Fidelium votis satisfaciendum. Formula autem benedictionis haec est:

Ÿ. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

R. *Qui fecit Coelum et Terram.*

Ÿ. *Dominus vobiscum.*

R. *Et cum spiritu Tuo.*

##### Oremus.

*Deus, cujus verbo sanctificantur omnia, bene + dictionem tuam effunde super Creaturam istam (vel Creaturas istas), et praesta, ut quisque ea, (vel eis) secundum legem, et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem SSmi. Nominis Tui, corporis sanitatem et animae tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum.*

R. *Amen.*

*Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergit Aqua benedicta.*

Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitibus coadunata post auditam relationem a Secretario factam rescribendum censuit: *Pro gratia et ad Emum. Praefectum cum Promotore fidei.* Revisa propterea ab Emo. et Rmo. D. Card. Aloysio Lambruschini Ep. Portuen. S. Rufini, et Centumcellarum S. R. C. Praefecto, una cum R. P. D. Andrea Maria Fratini S. Fidei Promotore, supradicta Benedictio-  
tionis communis formula, illam S. C. adprobavit, atque a Clero Civitatis et Dioec. Petrocorensis adhiberi posse permisit. Die 11. Sept. 1847.

Super quibus omnibus facta postmodum SSmo. D. N. Pio Papae IX. per subscriptum Secretarium relatione, S. S. benigne annuit, Rescriptumque S. C. confirmavit. n. 5119 die 20. Sept. 1847.

## 48) Cum s. Reliquia etc.

## a) Genuflexio.

Cf. *Reliquia* (genus).

*Ad dubium*: Ad Benedictionem cum Reliquia vel insigni imagine alicujus S. estne tam a Clero etiam parato quam a populo genuflectendum? S. C. resp.: „Consuetudinem servari posse.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 17 die 16. Aprilis 1853.

## b) Jus et Modus.

Vd. *Bened. Episcopi cum reliquia; Velum in benedictione cum reliquia etc.; Reliquia* (veneratio etc.; decr. n. 4956).

Post processionem reliquiarum posse impertiri populo benedictio cum reliquiis, sed nullam adesse obligationem. n. 3025 ad 1 die 24. Julii 1683.

In quadam Cathedrali exponitur lignum s. Crucis tam in festo Invent. quam in altero Exaltationis. In festo Invent. celebrat Canonicus, qui cum illo populo benedictionem impertit; in secundo Beneficiatus, qui sine benedictione illud reponit. Quaeritur: an haec consuetudo attendenda sit, vel potius populus sit benedicendus etiam a Beneficiato? S. C. resp.: Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam. n. 4536 ad 12 die 4. Junii 1817.

## NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Etsi nulla sit Rubrica, quae praecipiat populo impertiendam esse benedictionem cum vivificae Crucis Reliquia post ejusdem ostensionem aut expositionem: mos tamen invaluit, ut id fiat. Dum in Basilica Vaticana ex

alto podio Crux, Lancea, Sudarium statis diebus vel aliis datis occasionibus, solemniter ostenduntur, haud reconduntur in custodia, nisi prius aut Episcopus aut Canonicus Sacerdos cum iisdem confluenti populo benedixerit. Quod etiam accidit in aliis insignioribus Urbis Basilicis, in quibus populo ostenduntur S. Lysana, si aliqua adsit Reliquia Redemptoris N. J. Chr. Sanguine contactuque consecrata. Quid si res sit de Expositionibus aut Processionibus, in quibus eadem SSmae. Crucis Reliquia circumfertur? S. hujus C. habemus responsum de benedictione populo cum eadem elargienda. Si quidem rogata: An quando, post aliquam S. Crucis Expositionem vel Processionem reponitur, benedicendus sit populus cum ipsa, ut nonnulli in hac provincia practicant, licet hujusmodi benedictio saltem relate ad Processionem, teste Tonellio S. Rit. lib. 3. cap. 2. §. 4 num. 6 nullibi praescribatur? in Brixien. sub die 15. Sept. 1736 respondit: Affirmative. Quod sane responsum, cum positivum sit, firmat regulam, quod danda sit cum Crucis vexillo benedictio post ejusdem Processionem et Expositionem. Id quod magis declaratur ex diversa formula, qua usa est eadem S. C. relate ad Reliquias in genere. In Albiganen. die 24. Julii 1683 ad dubium: Utrum post Processionem Reliquiarum impertiri populo debeat benedictio cum Reliquiis? haud positive respondit, sed fieri posse censuit: Posse, nullam tamen adesse obligationem. Magnum quippe intercedit discrimen inter Reliquias Sanctorum, et instrumenta Passionis D. N. J. C. Cum igitur in Cathedrali, de qua agitur, in Festo tam Inventionis, quam Exaltationis SSmae. Crucis s. exponatur Reliquia, populus cum ea benedicendus erit ante repositionem, vel Canonicus sit qui celebrat, vel Beneficiatus. Non enim benedictio pendet

## c) Extra Missam.

*Ad dubium*: Utrum liceat simplici Sacerdoti Superpelliceo, et Stola induto post Vesperas, Litanias, et Preces immediate Altare ascendere et Populum dimittere, eum benedicendo nuda manu per verba: *Benedictio Dei omnipotentis etc.* ut praescribitur a Rituali post Communionem extra Missam?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: „Affirmative, si adsit consuetudo.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4782 ad 4 die 27. Aug. 1836.

## NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Peropportunum valde videtur nonnulla hoc in loco in medium proferre tam de benedictionibus Ecclesiasticis in genere, earumque origine et antiquitate, quam de benedictione, quae datur in fine Missae, priusquam de ea benedictione agatur, de qua sermo est in dubio, quae fortasse ad illarum similitudinem dari coepit. Itaque Benedictio Ecclesiastica est precatio quaedam, qua aliqua sanctitas confertur, et illa proprie dicitur quae fit nomine Ecclesiae, et ex auctoritate a Deo ei concessa, quando nempe quis ratione sui muneris, quo fungitur, petit a Deo ut vel personis, vel rebus bona convenientia tribuat. Deus enim posuit Sacerdotes et Ministros Ecclesiasticos dispensatores benedictionum suarum, uti docet eruditissimus Jacobus Eveillon Canonicus Andegavensis Ecclesiae in lib. *De processionibus Ecclesiasticis*, et probat ex cap. 6. *Numerorum*, ubi per Moysen locutus est Aaron et filiis ejus. *Sic benedicetis filiis Israël, et dicetis eis: benedicat tibi Dominus, et custodiat, et ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui: convertat Dominus cultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum propter filios Israël, et*

a dignitate personae celebrantis, sed impertienda est ratione qualitatis Reliquiae.

Post aliquam s. Crucis expositionem vel Processionem benedicendus est populus cum ipsa. n. 4051 ad 1 die 15. Sept. 1736.

*Ad dubium*: an sint dandae benedictiones populo cum reliquiis SS. . . in fine singularum processionum fieri solitarum? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 4338 ad 5 die 16. Decbr. 1766.

*Ad dubium*: Quum in Dioecesi Lucionen. sicut in multis Galliarum Dioecesibus Sacerdos benedicendo Populum cum Sanctissimo Sacramento dicat cum cantu verba: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater etc.*, an possit aut debeat idem ritus servari etiam in benedictione cum Ligno Sanctissimae Crucis? S. C. resp.:

„Non licere juxta Decretum in una Caputaquen. diei 9. Februarii 1762.“

Die 23. Maji 1835. n. 4743 ad 3.

## 49) Sacerdotis.

## a) In Missa.

In Missa solemnī, cum datur benedictio in fine, semel tamen produci debet signum crucis super populum a Sacerdote celebrante. n. 15 ad 3 die 16. Mart. 1591.

Si ex necessitate missa in altari, ubi est expositum SSmum., celebrari opus esset, populus est benedicendus more consueto et non cum SSmo. n. 2542 ad 6 die 13 Junii 1671.

De *Origine* bened. Sacerd. in fine missae, vd. *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 nota).

## b) In Missa de Req.

Abusum esse et consuetudinem, ut in fine Missae de Requie detur a Celebrante benedictio. n. 281 die 24. Sept. 1605.

Decreta authentica.